

tra Orthodoxi. qui veram & sinceram fidei, de Scriptura & Christo ac charitatis officiis, regulam & doctrinam, ad intelligendum & interpretandum Scripturas, afferunt, recte eas intelligunt & felicititer explicant, etiam ex vernaculis & aliis notis versionibus, & nunquam, in earum explicatione hanc regulam sequentes, perniciose errant; si verò docti sint, & in Hebraicis ac Græcis literis, artibusque & scientiis liberalibus, versati, etiam ex textibus originalibus, Scripturas verbaliter explicare, & realem explicationem, seu verum sensum, juxta leges artium, confirmare & defendere, falsumque sensum deprehendere & refutare possunt.

XLVII. Jam verò falsitas & absurditas contrariæ sententiaz etiam sic ostenditur. Si Uſus Loquendi eſſet Regula Princeps interpretandi sacram Scripturam; non deberent res ſpirituales cœleſtes ac divinæ, per eam ſignificatæ, eſſe altioris naturæ ordinis & captus, quam ſunt res naturales terrenæ & humanæ, hujus vitæ mundi & ſeculi, & deberent vocabulis phrasibusque in populo Hebræo & Græco receptis, tam bene propriè plenè & adæquate exprimi, quam res hujus vitæ & ſeculi, nec ſuperare naturalem captum & intelligentiam illorum populorum, ſed ab illis tam bene, auditis vocabulis & phrasibus, citra ſpecialem gratiam illuminations & regenerationis, percipi & intelligi, quam res hujus vitæ & ſeculi, ejusmodi verbis & phrasibus ſignificatæ. Nec enim aliter capio, quo modo Uſus loquendi Regula princeps interpretandi sacram scripturam eſſe poſſit. Conſequens eſt fallum & absurdum Scripturis Rationi & Experientiæ contrarium. Nam verba & phrases, in populis receptæ, propriè notant & ſignificant res hujus vitæ & ſeculi, quibus intellectus hominis naturalis eſt proportionatus, nec res divinas ulterius exprimunt, quam eas hominis naturalis intellectus, lumine naturæ, cognoscit; non autem prout in ſe ſunt, & in ſcriptura ſignificantur, & juxta mentem Spiritus sancti intelligentæ proponuntur. Sic verba & phrases, inter homines uitatæ, eas non repræſentant nec adæquate, etiam prout ab illuminatis & regenit is viatoribus intelliguntur, exprimunt; ſed tantum per ſimilitudinem quandam adumbrant, & quaſi cretâ vel carbone aliquo ruditer delinquant. Sic hominis naturalis capacitatem non ſupe-